

DE
LICENTIA TRIUMPHALI MILITVM ROMANORVM
COMMENTARIOLVM

SCRIPSIT

CHRISTIANVS FVETTERER,

SIEMERODANVS.



HAGIOPOLI,

EX OFFICINA J. C. DOELLII & C. BRVNNII

MDCCCLI

1844

UNIVERSITÄT DÜSSELDORF
BIBLIOTHEK

VERZEICHNIS
DER
BÜCHER
DIE
DURCH
DIE
GÜTE
VON
HERRN
DR. THEODOR
MANNICH
ZUR
BIBLIOTHEK
DIESES
INSTITUTS
GEKOMMEN
SIND
VON
1844
BIS
1845

1844

1845



Jam antiquissimis temporibus apud omnes gentes moris erat, ut victoriam reportatam triumphali laetitia carminibusque ornarent atque celebrarent. Huius quidem rei unum tantummodo exemplum luculentum apponam. Davidi a certamine singulari, quod fecerat cum Goliath Philistaeorum fortissimo viro, redeunti obviam iverunt mulieres ex omnibus urbibus Israel canentes fidibus exultantesque, ut exciperent adolescentulum fortissimum eique gratularentur de hoste caeso et patria liberata. ^{Jam} I. Mos. 18, 6-8. Sed nonnunquam his laudibus e libertate et licentia, quibus veteres in omnibus rebus uti solebant, immiscebatur vituperatio, si qua pigre, avare, negligenter aut cradeliter facta erant.

Sed antequam de his rebus, ut mihi propositum est, dico, pauca de honoribus bellicis praemonebo, quales fuerint apud Romanos. In primis ponenda est imperatoris appellatio Tacit. Annal. III, 74., quae duci a militibus dabatur re bene gesta Caes. b. civ. II, 26., a senatu confirmabatur et a duce retinebatur, donec triumphasset. Nec dux nec milites soli movebantur victoria parta, sed etiam senatus et universa res publica. Nam ob exactum e Gallia Ariovistum et divictos Belgas aliasque Galliae gentes ex litteris Caesaris dies quindecim supplicatio decreta est, quam rem Cato apud Cic. ep. ad div. XV, 5. publicam gratiarum diis actionem a senatu decretam nominat quaeque etiam gratulatio dicitur. Cic. pro Marcello 4. Concessa est autem haec uni Ciceroni togato, cum coniurationem Catilinariam oppressisset.

Ut iam antiquissimis temporibus rei publicae Romanae ante messem factam dies festi celebrari solebant cantu, saltatione, pompa, ita per totum Latium Italiamque universam post messem factam et inter vindemiam similes dies festos sanctos esse invenimus.*) Apud veteres Graecos res eodem modo se habuit atque Athenis τὰ ἀσκόλια vino dempto licentiam et risum movebant. Nam legitur apud Arist. Eth. Nicom. VIII. 9. 5. αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί. μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς, qui mos etiam apud nostram gentem rusticam obtinuit, quae autumnali messe peracta, laboribus superatis et horreis copia frugum scatentibus sacrum annuum in memoriam aedis conditae paganaliaque celebrare consuevit.

Hic laudabo locos principes veterum Romanorum de his rebus festis messoriis. Principem locum obtinent versus Horat. Ep. II, 1, 139 seqq.

Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
 Condita post frumenta, levantes tempore festo
 Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
 Cum sociis operum, pueris et coninge fida,
 Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
 Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.
 Fescennina per hunc invecata licentia morem
 Versibus alternis opprobria rustica fudit,
 Libertasque recurrentes accepta per annos
 Lusit amabiliter.

His versibus adiungere in animo est Tibulli II, 1, 51. seqq. laudem vitae rusticae.

Agricola assiduo primum satiatum aratro
 Cantavit certo rustica verba pede;

*) Zell: Ferienschr. II., über die Volkslieder der alten Römer, quem librum saepe adhibui non nominatum.

Et satur areni primum est modulatus avena
 Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
 Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
 Primus in experta duxit ab arte choros.

Denique non est praetereundus Virg. Georg. II, 285. sqq.

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
 Versibus incomitis ludunt risuque soluto,
 Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
 Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibi que
 Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
 Hinc omnis largo pubescit vinea fetu;
 Complentur vallesque cavae saltusque profundi,
 Et quocumque deus circum caput egit honestum.
 Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
 Carminibus patriis lances et liba feremus,
 Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
 Pinguique in veribus torrebimus exta columnis.

Perspicienti hos versus facile apparebit, tales dies festos hominum rusticorum cantu carere non potuisse neque opus fuisse nimia continentia et temperantia in moderanda regendaque laetitia; nec nimium quemquam desiderium artis poeticae in hoc genere carminum rusticorum tenebit. Canebantur autem simpliciter sine furo laudes deorum, quorum ope fructus incrementum capere credebantur, quibus laudibus immiscebantur ludibria cavillationesque. Priscis enim temporibus ioca atque seria nondum adeo separata erant, quam nostra consuetudo fert. Jocus, cavillatio, satira aequae adhibebantur et spectabantur in rebus administrandis ac severitas et gravitas. Jocus erat deus, qui et in vita hominum et in ipso cultu aliorum deorum suas partes agebat. Unde fit, ut apud veteres Graecos magna multitudo dierum festorum reperitur, qui non adhibito ioco et cavillatione celebrari nequirent. Similia occurrunt in Lupercalibus et Circensi-

4

hus veterum Romanorum Plut. Romul. 21. Dionys. Hal. Antiqq. Rom. VII, 72.
 μετὰ γὰρ τοὺς ἐνοπλίους χοροὺς οἱ τῶν Σατυριστῶν ἐπόμενον χορὸν τὴν Ἑλληνικὴν
 εἰδομορφῶντες σκίνην. σκευαὶ δ' αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μὲν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλ-
 λοπαὶ χιτῶνες, οὓς ἐνιοὶ χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους. τοῖς
 δ' εἰς Σατύρους, περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς
 φῶβαι καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια. οὗτοι κατέσκαπτόν τε καὶ καταμμοῦντο τὰς σπονδαίας
 κινήσεις ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες· δηλοῦσι δ' αἱ τῶν Θριάμβων εἰσοδοὶ παλαιὰν
 καὶ ἐπιχώριον οὖσαν Ῥωμαίσις τὴν κέροτομον καὶ σατυρικὴν παιδίαν. ἐφείκει γὰρ τοῖς
 κατὰγονσι τὰς νίκας λαμβίξεν τε καὶ κατασκώπτειν τοὺς ἐπιφανεσιάντους ἄνδρας
 αὐτοῖς στρατηλάταις, ὡς Ἀθήνησι τοῖς πομπευταῖς τοῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν πρότερον
 ἅμα σκώμμασι παραχοιμένοις. νῦν δὲ ποιήματα ἔθουσι αὐτοσχέδια. *z. t. l.*, in fu-
 neribus Sueton. Vespas. 19. Sed in funere Favo archimimus personam eius
 ferens imitansque, ut est mos, facta et dicta vivi interrogatis palam procurato-
 ribus, quanti funus et pompa constaret; ut audivit HS. centies, exclamavit, cen-
 tum sibi sestertia darent ac se vel in Tiberim præicerent, et in cantilenis petu-
 lantiam militum, qui imperatorem triumphantem urbemque intrantem prosequeban-
 tur. Hanc rem ut accurate et luculenter perspiciamus, totum locum de triumpho,
 quem Scipio Africanus Maior ex Africa domita egit, huc adscribam. Appian.
 Rom. hist. de reb. Pun. c. 66. ed. Tauchnitz.

Καὶ ὁ τρόπος, ᾧ καὶ νῦν χρώμενοι διατελοῦσιν, ἔστι τῷδε. Ἐστρέφοντο μὲν
 ἅπαντες. ἤγοῦνται δὲ σαλπικταὶ τε καὶ λαφύρων ἅμαξαι. πύργοι τε παραφέρονται,
 μμήματα τῶν ἐλλημένων πόλεων καὶ γραφαὶ καὶ σχήματα τῶν γεγονότων. εἶτα
 χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἀσήμαντὸς τε καὶ σεσημασμένος καὶ εἴ τι κωνιστότροπον ἄλλο.
 καὶ στέφανοι ὅσοι τῶν στρατηγῶν ἀρετῆς ἕνεκα ἀναδοῦσι ἢ πόλεις ἢ σύμμαχοι ἢ τὰ
 ὑπὲρ αὐτῶν στρατόπεδα. βόες δ' ἐπὶ τούτοις λευκοὶ καὶ ἐλέφαντες ἦσαν ἐπὶ τοῖς βοσεί.
 καὶ Καρχηδονίων αἰσῶν καὶ Νομάδων ὅσοι τῶν ἡγεμόνων ἐλήφθησαν. αὐτοῦ δ'
 ἤγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ βαβδοῦχοι φοινικῶς χιτῶνας ἐνδεδυκότες καὶ χοροὺς κινῶ-

ριστῶν τε καὶ κτηριστῶν ἐς μισθήματα Τυρρηνικῆς πομπῆς περιεζωσμένοι τε καὶ στεφάνην χρυσῆν ἐπικέμενοι. ἴσα τε βαίνουσι ἐν τάξει μετὰ ἄδης καὶ μετ' ἀρχήσεως. λευκοὺς αὐτοὺς καλοῦσιν, ὅτι — ὄμαι — Τυρρηνοὶ Λυδοῦν ἀποικοί. τούτων δέ τις ἐν μέσῳ πορφύραν ποδήρη περιεζέμενος καὶ ψέλλια καὶ στρωπὰ ἀπὸ χρυσοῦ σχηματίζε-
 και ποικίλως ἐς γέλωτα, ὡς ἐπορχούμενος τοῖς πολεμίοις. ἐπὶ δ' αὐτῷ θυματηρίων πλῆθος καὶ ὁ σιταπηγὸς ἐπὶ τοῖς θυμιάμασιν ἐφ' ἄρματος καταγεγραμμένον ποικίλως ἐστίζεται μὲν ἀπὸ χρυσοῦ καὶ λίθων πολυτίμων ἕσταται δ' ἐς τὸν πάτριον τρόπον πορφύραν ἀστέρων χρυσοῦν ἐνκασμένον. καὶ σκήπτρον ἐξ ἐλέφαντος φέροι καὶ δάφνην, ἣν αἱ Ῥωμαῖοι νομίζουσι νίκης σύμβολον. ἐπιβαίνουσι δ' αὐτῷ ἐπὶ τὸ ἄρμα παῖδες τε καὶ παρθέναι καὶ ἐπὶ τῶν παρθήρων ἐκατέρωθεν ἡἴθεοι συγγενεῖς. καὶ παρέπονται ὅσοι παρὰ τῶν πόλεμον ἦσαν αὐτῷ γραμματεῖς τε καὶ ὑπηρέται καὶ ὑπασπισταί. καὶ μετ' ἐκείνων ἢ στρατιᾷ κατὰ τε ἴλας καὶ τάξεις δεσφαναμένη πᾶσαι καὶ θαυρηροσοῦσα. οἱ δὲ ἀριστεῖς καὶ τὰ ἀριστεῖα ἐπίκεινται. καὶ τῶν ἀρχόντων οἷς μὲν ἐπαινοῦσιν, οἷς δὲ σκώπτουσιν, οἷς δὲ ψέγουσιν. ἀφελὴς γὰρ ὁ Θρι-
 αμβος. καὶ ἐν ἔξοσσίᾳ λέγειν ὅ τι θέλοιν. Ἀμφιόμενος δὲ ἐς τὸ Καπιτώλιον ὁ Σκιπίων τὴν μὲν πομπὴν κατέπαυσεν. εἰσὶν δὲ τοῖς φίλοις, ὄρατορ ἔθος ἔσαν, ἐς τὸ ἱερὸν.

Non habeo quidem in animo accurrate sane ac diligenter disputare de triumpho, qualis fuerit apud Romanos, propterea quod angustia loci et tenuitate suppellectilis pressus bibliothecas magna librorum copia ornatas adire non potui, nec tamen recusavi neque abnuī, quominus, quae dedi, adderem, ut luculentius perspiciantur, quae sequuntur.

Jocularia inconditis versibus fundere et cavillari familiariter erat veterum Italorum, imprimis hominum rusticorum et pastorum. Inter epulas, viscerationes cultumque deorum alternis versibus se invicem provocabant, ut in iaciendo mittendoque ridiculo facetiis politis asperisque et sale delectarentur. Hanc inconditam cavillandi licentiam Horatius gravissimus rerum Romanarum auctor Fescenninam

nominat, quod nomen derivari solet a Fescennia, Etruriae oppidulo ad Tiberim sito, ubi id genus antiquitus maxime cultum esse proditur. Sed perpendenti mihi eos locos, quos supra dedi et alios quos non adhibui, haec iocularia etiam in summa gravitate vitae usurpata esse videntur, v. c. in nuptiis, in funeribus, in triumphis. Atque ita fieri potuit, ut non solum carmina rustica, sed etiam nuptialia, funebria triumphaliaque Fescennina dicerentur. Modum autem horum carminum si quaeris, Saturnium appellare non dubitabis, qui natus apud Italos demum submotus est, postquam rhythmus Graecus apud Romanos coli usurparique coeptus est. Versus Fescennini alternis sermonibus canebantur diebus festis messorum et vindemiatorum a rustica gente; in urbe adiungebantur saltationes more Tusco in honorem deorum; denique magis exculti et cantu condito ornati a iuventute Romana histrionibus concedebantur. Primum et secundum genus huius poesis proficiscebatur a populo, tertium quamvis opera histrionum formatum et figuratum cum illis arte cohaeret. Sed mox novum genus extrinsecus quaesitum et inductum est. Livius enim Adronicus more sui aevi et poeta scenicus et actor loco saturae Romanae variorum iocorum frequentia stipatae fabulam ad argumentum exemplumque Graecum confictam docuit novique generis scenici auctor inter Romanos existit. Nec tamen illud vetus et populare plane reiectum et expulsum est. Nam Livius VII, 2. iniecta mentione institutorum ludorum in urbe sit pergit:

Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur, et ludus in artem paullatim verterat; iuventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit; quae inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oseis acceptum tenuit iuventus nec ab histrionibus polui passa est.

Nec veremur illud vetus genus Fescenninum saturam dicere neque dubitamus

eodem nomine appellare id, quod studio iuventutis Romanae suscitatum est. Quamdiu autem haec satira per se vigerit, non liquet, deinde vero post fabulam doctam aut Atellanam peractam subnectebatur, ut est videre apud Livium l. l. et scholiastam Juvenal. ad Sat. III, 175. Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret.

Potissimum autem fabellis Atellanis conserebantur versus Fescennini. Itaque non erit a re alienum nonnulla de iis proferre. Ludi Atellani nomen originemque trahunt ab Atella, urbe Osca Campaniae, unde Romam acciti a iuventute edebantur, ut delectarentur, non ab histrionibus. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur et stipendia tanquam expertes artis ludicrae faciant. Liv. VII, 2. extr.

His rebus absolutis venio ad propositum. Licentia iocorum petulantium cavillationumque nullis frenis iniectis non solum apud gentem rusticam et iuventutem in messe, vindemia et satira scenica apparebat, sed potissimum in triumpho, id quod ab omnibus Romanis in maximis honoribus numerari solebat. Sed illi loco Appiani, quem supra laudavimus, alium poeticum fictumque addam. Appianus enim triumphum verum actumque describit, Ovidius vero Trist. IV, 2, 19. seqq. fingit, qualis agi par sit:

Ergo omnis poterit populus spectare triumphos,
 Cumque ducum titulis oppida capta leget;
 Vincitque captiva reges cervice gerentes
 Ante coronatos ire videbit equos:
 Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
 Terribiles aliis, immemoresque sui.
 Quorum pars causas et res et nomina quaeret:
 Pars referet, quamvis noverit ipsa parum:
 Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,

Dux fuerat belli: proximus ille duci.
 Hic, qui nunc in humo lumen miserabile figit,
 Non isto, vultu, cum tulit arma, fuit.
 Ille ferox, oculis et adhuc hostilibus ardens,
 Hortator pugnae consiliumque fuit.
 Perfidus hic nostros inclusit fraude locrum,
 Squalida promissis qui tegit ora comis.
 Illo, qui sequitur, dicunt mactata ministro
 Saepe recusanti corpora capta deo.
 Hic lacus, hi montes, haec tot castella, tot amnes,
 Plena ferae caedis, plena cruoris erant.
 Drusus in his quondam meruit cognomine terris,
 Quae bona progenies digna parente fuit.
 Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva,
 Decolor ipse suo sanguine, Rhenus erit.
 Crinibus en etiam fertur Germania passis,
 Et ducis invicti sub pede moesta sedet.
 Collaque Romanae praehans animosa securi
 Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.
 Hos super in curru, Caesar, victore veheris
 Purpureus populi rite per ora tui:
 Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum:
 Undique iactato flore tegente vias.
 Tempora Phoebea lauro cingetur; Joque,
 Miles, Jo, magna voce, Triumpho, canet.
 Ipse sono plausuque simul fremituque canentum
 Quadrifugos cernes saepe resistere equos.
 Inde petes arcem, delubra faventia votis:
 Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Sunt qui obtinuerint nulli imperatori Romanorum licuisse transire cum
 exercitu Rubiconem fluvium. Utque id probent, laudant Sueton. Jul. Caes. 32.

Sed haec res ex Sueton. l. l. minime patet et in hac re diversa tempora rei publicae Romanae bene distinguenda sunt. Etenim florente re publica libera imperator tantummodo esse cum imperio desiit, simulatque agrum Romanum intravit; sed postea turbatis rebus arbitrium cuiusvis imperatoris victoris loco legis vigeat. Sed quamquam non est in animo de triumpho multis verbis disputare, pauca tamen de natura eius adiciam. Is erat non solum militaris, sed popularis agebaturque ab universa civium multitudine cum reverentia quadam et cultu eorum deorum, qui victoriam reportari dedissent. Horum templa triumphantes imperatores pompa triumphali adibant, ut ibi diis et supplicationes et sacra facerent. Itaque numerato triumpho inter dies religiosos a veritate non aberrabis. Sed non cuiusvis imperatoris victoris erat triumphare; complures triumpho negato in monte Albano ovabant; erat autem ovatio quasi species parvi triumphi, cuius modo triumphator, eius amici et asseclae participes erant. Ex bello civili non triumphabatur. Val. Max. II, 8, 7. neque aut ovans aut curru triumphavit; quia ut necessariae, ita lugubres semper existimatae victoriae sunt, utpote non externo sed domestico partae cruore.

Decernebatur autem triumphus a senatu, licet teste Dionys. Halic. XI, 50. L. Valerius Poplicola et M. Horatius Barbatus, postquam sedato tumultu decemvirati rem publicam ab iniuriis vicinarum gentium vindicaverunt, invito senatu, qui in consulibus triumphum invidebat, triumpharent, duci, qui quinque milia hostium una acie, Val. Max. II, 8, 2. sive iusto et hostili bello, ut dicit Cic. pro rege Deiot. 5. suis auspiciis cecidisset, ita ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quae populi Romani fuissent, agi posset. Val. Max. II, 8, 4. Neque etiam deportari solebant exercitus ex provincia, nisi ea perdomita et pacata successoribus tradita fuisset. Sed apud Livium XXXX. 38. etiam legimus P. Cornelio et M. Baebio Coss., cum Ligures Alpibus inhaerentes a montibus descendere et in Samnitibus habitare iussissent, triumphum nullo bello gesto ab senatu esse decretum.

Agebatur autem triumphus hoc fere modo. Statuto a senatu die certo imperator indutus veste triumphali, lauro, ut Horat. Od. IV, 3, 6. dicit, Delius ornatus foliis, aut corona aurea ornatus, Dionys. Hal. III, 62. *στέφανόν τε χρύσειον ἐφόρει καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα ποικίλην ἀμπέχου καὶ σῆπιρον ἐλεφαντινον ἔχων ἐπὶ θρόνου ἐκαθέζετο ἐλεφαντίνου*, curru pretioso, qui ab Horatio Epod. IX, 21. aureus dicitur, quattuor equis albis Ovid. Ars am. 214.

quattuor in niveis aureus ibis equis,

plérumque iuncto insistens per urbem ad Capitolium pompa per circos, Flaminium primum, deinde maximum, Flav. Jos. b. Jud. VII, 24. ducta vehebatur praecedente senatu et comite magna civium turba, qui omnes togis albis induti apud Juvenal. Sat. X. 45. nivei ad frena Quirites appellantur. Sed in eodem curru adstabat servus publicus, qui coronam illam auream immensi ponderis et amplitudinis sustinebat et attendere simul triumphantem inebat ad ultimi supplicii instrumenta, tintinnabulum et flagellum curru appensa atque subinde interclamabat: Respice post te: hominem te esse momento.

Vim et licentiam iocî apud veteres magnam fuisse multumque valuisse, iam supra demonstratum est. Sed omnibus triumphis aliisque solennibus totus chorus Satyrorum et Silenorum lascivientium interfuit, qui saltationibus lascivis et nugis petulantibus animos spectatorum moverent atque delectarent; quin etiam unius ex hoc choro erat ridiculo gestu motuque imperatorem imitari eique illudere. Hunc morem iocandi cavillandique a maioribus acceptum etiam milites tenuerunt per triumphum, quibus in imperatorem triumphantem illudere et petulanter et turpiter canere licebat. Eadem licentia milites utebantur adversus omnes alios vel viros amplissimos spectatissimosque, in quos carmina mordacia spargere excitarentur. Neque solum huius loci erat illudere et cavillari, sed etiam laudibus efferre, quod laude dignum esset, quae laudes publice coram omnibus duci a militibus agebantur. Neque tamen in hac re deerat studium partium; secedebant

enim milites in partes, quarum altera lacessebat, altera defendebat. Nam cum idem C. Valerius, quem invito senatu triumphavisse supra docuimus, in invidiam plebis incurrisset impedita lege agraria a se ipso lata, et post Aequos devictos ex senatusconsulto urbem ovans introiret, alternis inconditi versus militari licentia iactati, quibus consul increpitus, Maenii celebre nomen laudibus fuit, cum ad omnem mentionem tribuni favor circumstantis populi plausuque et assensu cum vocibus militum certaret: Liv. IV, 53. Eunque morem modumque triumphi priscis temporibus obtinuisse vero absimile non est. Postea vero canebantur a militibus singuli versus ex tempore fusi aut parvae cantilenae, quae saltatiunculae sive ballistia nominantur. Nomen vero ballistii originem ducit a verbo Graeco βαλλίζειν, i. e. iactare manus, quod etiam βαλλίζειν χεῖρας vel βάλλειν χεῖρας nominatur, sicuti faciunt saltantes. Itaque βαλλίζειν idem valet, quod ὀρχεῖσθαι i. e. saltare cum cantu; et ex hoc verbo desumptum est illud nomen Ballet, quare nostris diebus tota scena referta est. Hae saltatiunculae plerumque compositae erant integris tetrametris catalecticis, in quem numerum viri docti eos versus huius generis, qui adhuc leguntur, quosque infra laudabo, diremerunt, quo inutili labore facile supersedere poterant, reputantes etiam apud alias gentes, imprimis apud nos cantilenas populares aetro metri vinculo non teneri. Hoc autem rhythmum pleraeque cantilenae populares et triviales et posteaquam metra antiqua rarius usurpari aut in oblivionem abire coeperunt, hymni et cantus ecclesiastici christianorum componebantur. Sed si quis hos versus in meros strictosque tetrametros transcribere conetur, rhythmum desiderabit, etiamsi necessarium syllabarum numerum computaverit.

Nunc restat, ut exempla huius rei quaeritemus et ante oculos proponamus. Veterum quidem neminem has acclamationes et plausus militares collegisse et comportasse, verisimillimum esse videtur. Erant autem, qui constanti et aequali oratione facti aequabiliter et sibi convenienter dicerentur et repeterentur, quando

triumphus ageretur, alii autem oriebantur occasione data et rursus evanescebant, quod levioris momenti essent. Saepe ex his carminibus luculentissime apparebat, quae et plebes et milites sentirent de rebus publicis; qua re ducti rerum Romanarum scriptores praesertim Livius triumphus cuiusdam mentione iniecta etiam horum versuum respectum habent et sententiam tradunt aut ipsos ad verbum produunt.

Res Romanorum turbatas postquam L. Quinctius ab aratro ad rem publicam administrandam arcessitus in integrum restituit, hostem vicit agrumque Romanum propagavit, Romae a Q. Fabio praefecto urbis senatus habitus triumphantem quo veniebat agmine urbem ingredi iussit; ducti ante currum hostium duces, militaria signa praelata; secutus exercitus praeda onustus. Epulae instructae dicuntur fuisse ante omnium domos; epulantes cum carmine triumphali et solennibus iocis commissantium more currum secuti sunt. Liv. III, 29.

Luculentissime autem emersit illa cupiditas licentiaque lacessendi vel laudandi apud Romanos in illo triumpho, quem Mam. Aemilius, vir summae dignitatis, ex Etruscis egit. Omnibus locis re bene gesta dictator senatusconsulto iussuque populi triumphans in urbem rediit. Longe maximum triumphus spectaculum fuit Cornelius Cossus, tribunus militum, eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par spolia opima gerens regis Tolumnii, quem sua manu interfecerat. In eum milites carmina incondita aequantes eum Romulo canere. Liv. IV. 20.

Praetermisso triumpho C. Valerii, quem supra laudavi, venio ad M. Furium Camillum, qui dictator Gallis exactis caesisque recuperata ex hostibus patria triumphans in urbem rediit; interque iocos militares, quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriae conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellatur. Liv. V, 49.

Bello Samnitico M. Valerius et Cornelius Cossus Coss. de Samnitibus

triumpharunt, sequente P. Decio, tribuno militum, cuius prudentia ac virtute alter exercituum consularium servatus erat, insigni cum laude donisque cum incondito militari ioco haud minus tribuni celebre nomen, quam consulum esset. Liv. VII, 38.

Id autem bellum cum admodum grave et durum ab utraque parte gereretur, saepe Romanis cladem et perniciem attulit, et Q. Fabius Cos. magna parte militum omissa et P. Decio Mure collega inter stipatissimum hostium acervum caeso cruentam et lacrimosam victoriam reportavit et de Gallis Etruscisque ac Sannitibus triumphavit; milites triumphantem secuti sunt. Celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii, quam mors praeclara P. Decii est; excitataque memoria parentis aequata eventu publico privatoque filii laudibus. Liv. X, 30.

Devicto ad Metaurum fluvium Hasdrubale, qui Hannibali fratri auxilium laturus erat, cum uterque consul una triumphans urbem inire vellent, decretum a senatu, ut M. Livius Salinator quadrigis urbem iniret, militesque eum sequerentur; C. Claudius Nero Livii collega equo sine militibus inveheretur. Ita consociatus triumphus cum utriusque tum magis ei, qui quantum merito anteibat, tantum honore collegae cesserat, gloriam auxit: illum equitem, aiebant, sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiae; et eo die cum Hasdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra adversus sese in Apulia posita habere Hannibal credidisset. Ita unum consulem pro utraque parte Italiae adversus duos duces, duos imperatores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse. Nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Hannibalem; Hasdrubalem vero qua alia re, quam adventu eius obrutum atque extinctum esse? Itaque iret alter consul sublimis curru multiugis, si vellet, equis. Uno equo per urbem verum triumphum vehi; Neronemque, etiamsi pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore. Hi sermones spectantium Neronem usque in Capitolium prosecuti sunt. Liv. XXVIII, 9. Itaque consul,

cui a senatu verus triumphus denegatus erat, plus laudis ex ore militum cepit, quam qui ex senatusdecreto rite triumphavit.

Sed magis ambigua erat laus, quam tulit triumphans de Gallis Asiaticis Cn. Manlius Vulso, qui disciplinam militarem severe a Q. Terentio Culleone antecessore servatam successor ipse omni genere licentiae corruerat. Neque ea sola infamiae erant, quae in provincia procul ab oculis facta narrabantur, sed ea etiam magis, quae in militibus eius quotidie conspiciebantur. Luxuriae enim peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. Ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia, et quae tum magnificae suppellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt; tum psalteriae sambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis; epulae quoque ipsae et cura et sumptu maiore apparari coeptae; tum coquus, vilissimum antiquis mancipium et aestimatione et usu in pretio esse; et quod ministerium fuerat, ars haberi coepta. Liv. XXXIX, 6. Qua de causa, licet ingentem pecuniae aliarumque rerum pretiosarum vim in aerarium invexisset, duces hostium duo et quinquaginta duxisset ante currum, milites et pedites et equites militibus donis et satis grandi stipendio ornavisset, carmina a militibus ea in imperatorem dicta, ut facile appareret, in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici; triumphum esse militari magis favore, quam populari celebrem. Liv. XXXIX, 7.

Interdum milites imperatorem carpsere imperiosum atque avarum eiusque triumphum impedire conati sunt. Exercitus Romanus, quem sub auspiciis Anicii, Cn. Octavi et L. Aemilii Paulli Illyrios vicisset, Epirum diripuisse, Perseum cepisset totaque gaza Macedonum potitus esset, in magnam spem praedae mercedisque venit. Sed Aemilius de praeda parcius, quam speraverant ex tantis regis opibus, dederat militibus. Huc accedebat, quod Serv. Sulpicius Galba, qui tribunus militum secundae legionis in Macedonia stipendia fecerat, privatim

imperatorii inimicus prensando ipse et per suae legionis milites sollicitando stimulaverat, ut duobus prioribus triumphum concederent, Aemilio negarent. Quo indigno facinore moti optimates coelum et terram miscebant, ut antiquato suffragio res de integro ageretur triumphusque decerneretur, qui quidem clarissimus fuit. Liv. XLV. 36.

His quas dedi rebus alium exemplum addam, ex quo facile apparebit, milites non solum triumphantes, sed etiam in aliis occasionibus oblati magna variaque licentia usos esse. Notum est illud certamen singulare cuiusdam Galli eximia corporis magnitudine et T. Manlii, qui ex torque detracto cognomen Torquati sibi induit. Is cum uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina barbari hausisset et in spatium ingens ruentem porrexisset hostem, torque sibi induto ad suos rediit stupentibus admirantibusque Gallis Romani alacres ab statione obviam militi suo progressi gratulantes laudantesque ad dictatorem perducunt. Inter carminum prope modum incondita militariter ioculantes Torquati cognomen auditum; celebratum deinde posteris etiam familiaeque honori fuit. Liv. VII, 10.

Magis accurate perscripta adhuc leguntur iocularia militaria, quae in triumphis C. Jul. Caesaris fundebantur, licet a militibus coleretur ac diligeretur. Qui quum ex Gallis triumpharet, quod esset libidinosus nec provincialibus matrimoniis abstineret, carpebatur versu per milites iactato :

Urbani servate uxores; moechum calvum adducimus.

Hunc versum, quo melius intelligas, in animum inducas, C. Caesarem ingenti calvitie pressum lauro tempora redimisse atque ita vitium naturae tetigisse. Quumque C. Caesar apud Gallos magnam pecuniam libidinosè profudisset, canebatur facetè mordiceque :

Aurum in Gallia effutuisti; hic sumpsisti mutuum.

Sueton. Jul. Caes. 51.

His adiciam alios versus, qui etiam leguntur apud Suetonium Jul. Caes. 49., quos fusius explicare huius loci esse non potest.

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem,
 Ecce Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias;
 Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

In obsidione Dyrrhachina cum milites Caesaris magna fame urgerentur, tam malo genere panis ex herba vesebantur, ut Pompeius cum feris sibi rem esse diceret. Cucumis, quo vesebantur, olus silvestre trium foliorum Divi Julii carminibus praecipue iocisque militaribus celebratum. Alternis quippe versibus exprobravere lapsana se vixisse apud Dyrrhachium praemiorum parsimoniam cavillantes. Plin. n. h. XIX, 41.

Turpem ignominiam sapit ille versus, quem apud Vellei. Patere. II, 67. inter iocos militares, qui curram Lepidi Plancique sequebantur, inter execrationem civium milites usurpabant:

De Germanis, non de Gallis duo triumphant consules,
 propterea quod illo triumviratus infamis tempore consules et i, penes quos imperium esset, consanguineos proscripserant.

Postquam res Romanorum publicae penes unum esse coeperunt raro et non nisi ab imperatoribus eorumque consanguineis triumphabatur, licet triumphus ipse usque ad tempora Justiniani notus sit, id quod perspicitur ex historia Belisarii, qui Africam Italiamque recuperavit multasque gentes feroces domuit. Id factum est invidia imperatorum, qui tantum aberant, ut alios triumphare paterentur, ut ipsi et sibi et consanguineis summum in re publica honorem vindicarent. Sed occasiones triumphi tam saepe non amplius inveniebantur, quam illis diebus, ubi cives Romani gravi militia functi et dura disciplina usi omnes gentes domuerunt orbique Romano addiderunt. Vir quidam doctus, cuius opus ad manus non erat, diligenter attentaeque computando a primis rei publicae

Romanae temporibus usque ad Augustum trecentorum triumphorum numerum iniit, cum seriori tempore quinquaginta tantum numeraverit.

Temporibus rei publicae liberae milites bello confecto illa severa duritie disciplinae teneri desierunt et sago deposito animos civiles receperunt, sed sub imperatoribus qui nomen professi et a campidoctoribus exerciti erant, milites manebant et bellorum laboribus confecti inter veteranos numerabantur, qui omnes in castris stativis dispositi disciplina militari coëreabantur. Hinc accedebat, ut milites mercenarii conducerentur, qui nullo patriae amore obstricti stipendia faciebant nec triumphabant. His militibus eadem licentia uti non licebat adversus successores Octaviani Augusti, qua cives in urbem reduces in imperatores triumphantes utebantur. Itaque cantilenae militares rarius laudantur a scriptoribus, licet procul dubio in castris poesi quadam castrensi componerentur canerenturque. Nec quidquam cantilenae militaris invenitur apud scriptores laude dignae, nisi hi versus, qui Romae in laudem Aureliani restitutoris orbis cani consueverunt.

Mille Sarmatas, mille Francos

Semel et semel occidimus;

Mille Persas quaerimus.

quos versus alii ita digesserunt:

Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus;

Mille mille mille mille Persas quaerimus.

Flav. Vopisc. Aurelian. c. VII.

Quum imperium Romanum ab omni parte premeretur et in eo esset, ut non solum diriperetur, sed etiam dilaceraretur ab hoste intestino et externo, Aurelianus Augustus salutatus ab exercitu Pannonico nomen Romanum a barbaris nationibus ferociter vindicavit, fines imperii munivit atque ordinem in rebus administrandis restituit. Unde factum est, ut imperator, quamvis saepe crudeliter in eos animadvertisset, qui aliquid deliquissent, a Romanis laudibus efferetur et

vel a pueris ludicra militaria exercentibus caneretur; qui quidem illum morem militum imitantes hoc ballistium cantabant:

Mille, mille, mille decollavimus,

Unus homo mille decollavimus,

Mille vivat, qui mille occidit.

Tantum vini habet nemo,

Quantum fudit sanguinis.

Hi versus ab aliis sic describuntur:

Mille mille mille mille milla decollavimus;

Unus homo mille mille mille decollavimus.

Mille mille mille vivat, qui mille mille occidit.

Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.

Flav. Vopisc. Aurel. VI.

His rebus absolutis pauca alia addam et commentatiunculæ finem imponam. Milites aliosque homines non solum per triumphum et in aliis solennibus ioco et cavillationi se tradidisse, sed etiam in aliis rebus sibi indulgisse, cum multis aliis rebus probari potest, tum ea hominum Italicorum proclivitate ad cavillationem, quam Horatius Sat. I, 7, 32. acetum Italum nominavit. Id et res ipsa docet et in XII tabulis disertis verbis legitur. Cic. de re publ. IV, 19. Nostræ duodecim tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sancendam putaverunt: „si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.“ cuius legis restitutis opera vivorum doctorum formis verborum veteribus hæc verba sunt. „Sei qui pipelod ocentasit carmenve condidit, quod infamiam facsit flagitiumque alterei, fuste feritod.“ Convicia id genus facere antiqui dicebant occentare; quod id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit, quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur. Festus s. v. occentassint. Eiusmodi convicium etiam pi-

pulus lingua Osca nominatur et a voce pipiendi derivatur. Hoc autem sensu usurpari videtur vox ab Accio Plauto Aulul. III, 31.

Ita me bene amet Laverna! iam te, nisi reddi

Mihi vasa iubes, pipulo hic differam ante aedes.

His igitur versibus mos demonstratur ei similis, qui in XII tabulis nominatur et legitime permittitur. Fragm. XII tab. Tabb. II. fragm. 3. „Quoi testimonium defuerit, is tertieis diebos ob portom obvaculatom eitod.“ Idque fiebat magna voce altoque eiulatu, quod veteres dicebant obvagulari, cuius radicem Festus grammaticus verbum vagiendi dicit. Primum illud genus lacescendi cavillandique in sacris et triumphis impune fiebat atque permissum erat nulla re obstante, alterum, quo in privatum quendam convicia et contumelia iactabantur, capitis diminutione prohibitum erat. Haec habui, quae de hac re scriberem.

[The text on this page is extremely faint and illegible. It appears to be a list or a series of entries, possibly containing names and dates, but the characters are too light to transcribe accurately.]